

DE TYCHONE BRAHE DANO
AD IOHANNEM ANTONIVM MA-
GINVM PATAVINVM, MATHEMATI-
CARVM DISCIPLINARVM IN BONONIEN-
SI Gymnasio Professore.



Thiopum populis placuit Sapiencia valdè
Cepheij generis: Mauris & claruit Atlas,
Astronomus velut optimus: Assirijque Prometheus.
Sic DANI Astronomum præstantem, Docte Magine
Concelebrant, magno Studio, Ingenioque potentem,
Nobilitate Illustrem, Doctrinâque TYCHONEM.
Nec possunt alibi melius cognoscier Astra;
Siue aucas varios Lunæ perdiscere motus,
Seu quis Mercurius, quæ Diua Gnidique Paphique,
Et quis Cinthius, ac Mauors, Hominumque Deumque
Quis pater & Rex, & senior quis Falcifer is sit:
Siue Damos cupias Coeli cognoscere cunctas;
Quique Aries: & quî Taurus: tum sub caput Arcti
Vt Gemini stent: vt feruentia sidera Cancer
Efferat: vtque Leo quatiat de corpore flammam:
Quæque tenet spicam manibus iustissima Virgo:
Atque ministrantes parili sub pondere Chela:
Et Nepa: & Arcitenens: & frigida vis Capricorni:
Nec non squammiferi Pisces: & Sidera quæque
Nec nôrunt alii Coelestia pandere Fata
Rectius, abstrusas hominum referantia sortes.
Quid verbis opus est? docti, celebresque Poëtæ
Materiam illustrem sunt nacti, clangere versu
Quâ non dignior vlla fuit, nec celsior vlla;
Vel te teste etiam tantum celebrante TYCHONEM.
Quos ergo argillâ finxit meliore Prometheus,
Quorum circundat Grinæus tempora lauro,
Quorumque ad nutum tribuunt modulamina Musæ;
Præclaras dicant resonanti Carmine laudes,
Coelestemque ferant Coelestia ad Astra TYCHONEM.
Paruis namque meis ea res haud viribus æqua est,
Quem magè verborum Ciceronis cura fatigat.

ANTONIUS RICCOBONUS ITALVS. F.